

tare, dum libere vult frui re prohibita.

XVI. Ex quibus deducitur, quomodo finis ultimus peccatoris sit unus, licet ex multis quandoque materialiter componatur, et integretur. Est enim unus formaliter, licet in pluribus rebus inadæquate inveniatur. Et formalitas ista consistit in hoc, quod aliquid accipiat, ut commodum, et conveniens, seu satiativum voluntatis sine subordinatione ad regulas rationis, sed juxta proprium arbitrium. Sed hoc satiativum voluntatis non invenitur in una tantum re, sed in pluribus, et diversis; ideoque ad diversa poterit ferri, quatenus in illis invenit illam rationem convenientiæ propriæ, et satiativi deordinati. Et hoc non est respicere solum rationem boni, seu finis ultimi in communi, sed etiam in particulari, quatenus illa convenientia, et commoditas deordinata, seu illa ratio satiativi, applicatur hic et nunc ad tale, vel tale objectum, et rem, quæ diligitur. Non est autem inconveniens, quod sint plures fines ultimi partiales, et inadæquati ex parte rei materialiter volitæ, quia unica res creata non sufficit adæquare totam capacitatem voluntatis, et sic ejus satiativum ex pluribus debet integrari. Formaliter autem, finis ultimus unus est ex parte rationis formalis finalizandi, quatenus respicit satiari suum appetitum, quomodo-cumque possit, etiam sine subordinatione ad legem et rumpendo omne debitum honestatis. Tale satiativum absolute, et dissolute est formalis ratio uniens et ad unitatem redigens quoscumque partiales, et inadæquatos fines materiales, circa quos ferri possit peccator.

XVII. Secundo colligitur, quomodo unitas ista finis ultimi, sumatur ex unitate ipsius peccatoris, qui tamen solum se habet ut finis

cui non ut finis qui. Verum est enim quod persona, cui volumus bonum est finis cui; hujus autem unitatem non inquirimus in præsentem, sed unitatem finis ultimi cujus gratia, qui nimirum est finis acquirendus, et qui obtineri desideratur; hic enim est finis qui allicit, et movet ad desiderandum alicui. Cæterum licet finis cui ut talis, non det unitatem fini ultimo cujus gratia, dat tamen regulam, et modum, juxta quem sumit unitatem, finis iste cujus gratia, in quantum sumitur pro fine quidquid commodum, vel conveniens est propriæ voluntati, non regulando et astringendo illud regulis divinis, et rationi, sed proprio arbitrio. Voluntas ergo ipsa seu persona peccans, cui est volitum illud bonum, se habet ut regula, et norma, tum commoditatis, et convenientiæ; tum regulationis, et determinationis ejus. Nam cum bonum illud appetatur ut commodum, et conveniens, et hoc est bonum relate, oportet quod in tali bono de connotato, et in obliquo intret id, respectu cujus dicitur commodum, et conveniens. Et rursus, tale bonum non taxatur, nec mensuratur penes aliam legem, sed penes arbitrium proprium, sic enim inordinate appetitur. Ergo in tali fine ultimo intrat ipsa persona, cui appetitur non tamquam finis cui, sed tamquam id, penes quod mensuratur ratio convenientiæ, et commoditatis, et regulatio ipsa moralitatis. Unde ex tali respectu, etiam potest finis ultimus sumere unitatem, quatenus omnia illa, quæ integrant talem finem ultimum, induunt rationem unius convenientiæ, et commoditatis, et regulationis per ordinem ad ipsum peccatorem, et ad ejus arbitrium ac voluntatem, unde sumitur mensura, et determinatio talis convenientiæ, et appetibilitatis.

XVIII. Ad difficultates motas in principio hujus dubii, respondetur ad primam. Constat ex dictis posse aliquem plura peccata velle etiam diversa et disparata, tamquam inadæquatos et partiales fines materialiter, ut tamen uniuntur in una formali ratione accommodationis, et convenientiæ pro isto subjecto. Et ista convenientia, et commoditas, cum sit bonum quoddam relatium, et non absolutum, non potest suam unitatem habere, nisi comparative includat, seu tangat tamquam terminum id cui commodum, et conveniens est. Neque hoc est solum sumere unitatem ex unitate finis cui, sed in ipso fine cujus gratia ponimus nos formalem unitatem commodi, et convenientiæ; sed quia est unitas illa respectiva (convenientia enim, ad alterum est) oportet quod connotet terminum respectu cujus convenientia illa datur. Et licet terminus hujus convenientiæ sit ipse peccator, tamen non sub eadem formalitate, et consideratione est finis cui, et connotatur ab illa convenientia, et commoditate boni. Nam dicitur finis cui, quatenus sibi ipsi amat, et vult illud bonum, atque adeo quando sibi vult, jam præsupponit illud esse conveniens, et accommodatum sibi. Et sic prius dicitur commodum, et proportionatum sibi, quam sibi volitum. Et in illa ratione convenientiæ intrat ipse peccator, ut terminus proportionis, et convenientiæ illius, in quo nondum consideratur ut persona amata, et dilecta, cui vult tale bonum: sed solum ut coaptatus, et proportionatus illi convenientiæ, et commoditati juxta appetitum deordinatum; sicut calor est proportionatus igni, antequam sit volitus. Ut autem sit finis cui, requiritur ut sit persona dilecta, et amata cui volitum est illud bonum; ei enim quem diligimus, volumus bonum.

Unde non est necesse, quod persona peccantis det unitatem fini ultimo volito, sub formalitate finis cui, sed antecedenter ad ipsam.

XIX. Ad secundam difficultatem (omissis variis modis respondendi ad illos casus, qui passim ab auctoribus circumferuntur) negamus quod ille qui succumbit peccato mortali, sit paratus mori pro fide ex motivo charitatis, sed ex aliqua pia affectione ad ipsam fidem, quæ bona est, sed non facit perfectam voluntatem, et adhærentem Deo, ut ultimo fine, sed adhærentem ipsi fidei, quam amat et diligit ut certissimam; sicut remanet in peccatore ipsa fides, et pia affectio ad illam. Et in quibusdam ita est intensa, et adhærens, quod pro ipsa fide vitam exponant, etsi non ex charitate, et sicut requiritur ad salutem, scilicet juxta verbum Christi: *Majorem charitatem nemo habeat, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; tamen hoc verum est, supposito quod aliquis operatur ex charitate, sic enim majorem charitatem, seu majus signum charitatis, nemo ostendere potest, quam dando animam suam. Potest tamen quis ex charitate non operari, et tunc etsi ponat animam suam, non propterea majorem charitatem habebit, sicut etiam Apostolus I ad Corinth. XIII dicit: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam nihil sum*. Igitur is qui est in peccato mortali movetur ad moriendum pro fide, non ex fine ultimo charitatis, sed ex motivo ipsius virtutis fidei, et piæ affectionis ad illam, operaturque opus bonum illius virtutis ex motivo illius, sicut potest facere elemosynam, et audire sacrum, aut alia opera virtutis facere, existens in peccato mortali; quæ quidem opera licet ex se referantur in finem ultimum rectum, quia bona sunt,



non tamen ipsum operantem simpliciter reddunt justum, et conversum ad illum bonum finem, quia impeditur ex propria voluntate habere illum pro ultimo fine simpliciter, sed solum habet illum pro ultimo secundum quid, prout scilicet pertinet ad tale opus in particulari, sicut de fine peccantis venialiter, dicemus statim.

XX. Quod autem ille non velit exponere vitam suam pro meretrice, vel pro voluptate illa, sicut vult pro fide, non arguit, quod amet magis Deum, quam voluptatem; sed quod magis amet seipsum, suamque commoditatem, quam voluptatem illam; nam voluptas illa non est finis ultimus formaliter, sed commoditas, seu convenientia ipsius peccantis cujus pars quædam est illa voluptas: non tamen ita illam amat, quod velit propter illam alias commoditates perdere, etiam vitam; vult tamen perdere vitam propter fidem, quia illam plus æstimat quam vitam, seu plusquam commoditatem propriæ vitæ in se, nec tamen ad hoc pervenit, ut amet Deum simpliciter super omnia, quia non procedit ille amor ex motivo complectente universaliter omnia, sed solum ex motivo particulari amoris erga fidem: sicut alius ob honorem, vel patriam, vel vanam gloriam, quandoque dat vitam suam, quam non dabit pro meretrice, vel uxore, vel voluptate. Et hoc est supponendo, quod illa voluntas moriendi pro fide sit bona, et honesta: nam si esset mala, seu ex malo motivo, verbi gratia, ob vanam gloriam, aut quid simile, tunc in illo actu dandi vitam pro fide, etiam procederet peccando, et sic seipsum, seu commoditatem, et convenientiam propriam haberet pro ultimo fine, ut explicatam seu applicatam ad illam vanam gloriam.

XXI. Ad secundum casum dici-

tur eodem modo, quod ille, qui vult fornicationem, et non vult pro illa expendere centum, quæ tamen expenderet pro sublevando paupere, vel adjuvanda fide; talis non amat fornicationem, plusquam pecuniam, et sic fornicatio non est finis ultimus adæquate, et formaliter, sed pars quædam materialis finis ultimi, scilicet propriæ convenientiæ, aut commoditatis inordinatæ volitæ. Non repugnat autem, quod inter ipsas partes materiales finis voliti, seu inter partiales, et inadæquatos fines, unus ametur minus altero, sicut fornicatio minus, quam pecunia, vel e contra.

XXII. Nec tamen sequitur, quod si eandem pecuniam, quam non vult expendere pro fornicatione, expendat pro eleemosyna, vel pro fide, anteponat Deum luxuriæ, aut habeat Deum pro ultimo fine simpliciter; quia anteponit Deum luxuriæ non absolute et simpliciter, id est, sub universali motivo excludente omne peccatum; sed pro casu quod sit necesse expendere illa centum, tunc enim relinqueret luxuriam, non propter Deum, sed propter illa centum, quod est non habere illum pro ultimo fine simpliciter, et universaliter, quia non pro omni casu, si quidem si non expendantur centum, amat luxuriam contra præceptum Dei. Expendere autem illa pro eleemosyna, vel pro fide, si ex bono motivo fiat, licet bonum sit, et supponat majorem esse amorem eleemosynæ, vel fidei quam luxuriæ, non tamen usque ad amorem finis ultimi simpliciter pervenit, quia non ex toto, nec pro omni casu amat Deum, qui est finis illius eleemosynæ, quia relinquit ipsum, et præcepta ejus pro luxuria, in illo casu, quo non expendantur centum. Unde convincitur amare seipsum, et commoditatem propriam plusquam Deum, licet cum illo amore

inordinato propriæ commoditatis compatiatur aliquis amor virtutis, seu Dei, ut finis ultimi illius virtutis plusquam aliquam commoditatem propriam, scilicet, plusquam illa centum quod tamen non sufficit, ut Deum pro ultimo fine simpliciter diligat, quia non universaliter pro omni casu amat.

XXIII. Adhuc tamen objici possunt aliqua exempla, ad probandum posse aliquem simul plures ultimos fines habere; vel non ponere finem ultimum in creatura, quando peccat. Nam in primis potest ad plura simul attendere, non ordinando illa inter se, vel disjunctive, vel copulative. Disjunctive, ut si intendat fieri episcopus, vel dux, aut judex: copulative, ut qui vult dare eleemosynam pauperi, et frui muliere, non ordinando unum alteri. Similiter gentiles, plures deos colebant, quemlibet eorum existimantes esse verum Deum; et simul poterant facere aliquod opus propter utrumque ex æquo, ut idem sacrificium offerre Jovi, et Junoni, aut Marti; ergo potest aliquis actus, vel effectus esse propter plures ultimos fines, seu propter plures deos; sicut etiam physice potest pendere idem effectus a pluribus causis totalibus, saltem quando una est increata, alia creata, ut diximus in quæstione décima physicorum.

XXIV. Quod vero in peccante mortaliter, non semper creatura habeat rationem ultimi finis, aliis exemplis manifestari potest. Verbi gratia, qui peccat cum affectu se convertendi, et agendi pœnitentiam, non relinquit Deum, nisi ad tempus: ergo non ponit simpliciter finem in creatura, quia non pro semper illi subicitur; sicut e contra, non vere convertitur ad Deum, qui agit pœnitentiam, cum animo iterum peccandi. Item, qui ex ignorantia crassa peccat, putans se obsequium

præstare Deo, ut cum Paulus persequeretur Ecclesiam, non peccat ex amore creaturæ, sed Dei; ergo non ponit in illa finem ultimum. Et qui precibus, et contemplatione amici omittit furtum, vel adulterium, quod non omitteret ex amore Dei, plus amat amicum, quam Deum; nec tamen in illo ponit ultimum finem, quia non peccat; ergo bene potest Deum non amare super omnia, seu ut ultimum finem, et tamen creaturam ut ultimum finem non amare. Denique, ut ametur creatura ut finis ultimus, debet formari judicium quod ipsa est summum bonum, et voluntatis satiativa, saltem practice, judicium autem practicum supponit speculativum, quia ab illo oritur, judicium autem speculativum, quod creatura sit summum bonum, est erroneum: ergo non nisi per errorem seu hæresim, potest quis ponere ultimum finem in creatura.

XXV. Respondetur ad exempla pro prima parte, negando ibi dari duos fines ultimos simpliciter. Et ad exemplum de eo, qui vult disjunctive plura bona, ut fieri episcopum, vel ducem, dico neutrum diligere ut finem ultimum simpliciter, sed ut materiam inadæquatam finis ultimi, quia convenientia, seu commoditas, quam intendit in adipiscenda dignitate, æque bene salvatur, et ponitur ab ipso in adeptione episcopatus, vel ducatus: honorem ergo formaliter appetit, ut ultimum finem sibi proportionatum cujus materiam inadæquate ponit in episcopatu, vel in alia dignitate disjunctive; quælibet enim sibi sufficit, et ideo neutra est adæquata secundum se.

XXVI. Ad illud exemplum de volente simul eleemosynam, et adulterium, respondetur quod in illo casu, quod unum opus illorum non subordinatur alteri, simpliciter pec-



cat ob adulterium, et sic ponit finem ultimum in creatura inordinate voluta, quia non servat legem, sed suæ libidini servit. In opere autem eleemosynæ, habet pro fine ultimo Deum, non efficaciter, et simpliciter volitum, sed prout pertinet ad illud opus, et ad ipsum operantem, prout exercet illud opus; non prout omnes affectus operantis convertit ad Deum. Hæc enim est generalis doctrina, de omni opere bono facto ab existente in peccato mortali; quod fit propter Deum, non generaliter, et simpliciter amatum, sed ut præcise est finis illius operis.

XXVII. Ad illum exemplum de colente plures deos, vel offerente pluribus sacrificium, respondetur præter ea quæ supra jam diximus articulo præcedenti, quod illi idololatræ, qui errabant ponendo plures deos, etiam errabant in ipsa ratione beatitudinis, et finis ultimi. Nec enim reputabant Jovem, aut Venerem, esse aliquod summum bonum, cujus visione, aut fruitione beatificarentur; unde nec in illis ponebant finem ultimum, sicut nos modo in Deo: sed finem ultimum ponebant in ratione satiati voluntatis, ambulando post concupiscentias suas, plus vel minus, secundum quod aliqui magis, vel minus honeste de actionibus humanis sentiebant.

XXVIII. Cæterum sacrificabant illis diis, tamquam quibusdam gubernatoribus, et provisoribus summis universi, secundum diversas res, alium præficiendo bellis, alium scientiis, alium voluptatibus; nihil illis dando de fine ultimo simpliciter, aut beatifico suarum actionum: sicut etiam reges in hac vita honorabant, nihil de fine ultimo eis tribuendo. Et plerumque reges ipsos transferebant indeos, eisque divinitatem tribuebant. Non est autem inconueniens simul plures deos co-

lere, ut summos gubernatores, non habendo illos pro ultimis finibus. Ad id quod dicitur, de dependentia effectus a pluribus causis physicis adæquatis, jam respondimus supra in fine articuli sexti.

XXIX. Ad exempla pro secunda parte. Ad primum de peccante sub spe pœnitentiæ, respondetur illum ponere finem ultimum in creatura, cum peccat, licet non fixe et stabiliter, sed cum animo recedendi; de facto tamen finem ultimum in sua satietate, aut convenientia constituit. Et hoc sufficit ad ponendum finem ultimum in creatura, licet non sufficeret ad ponendum finem ultimum in Deo, si converteretur cum proposito relinquendi ipsum, quia conversio ad Deum debet esse vera, et perfecta, utpote ad verum bonum, quod semper est ex integra causa; et ita petit cor sincerum, et propositum verum; quod non habet qui cum animo recedendi convertitur. Ad hoc autem ut finis ultimus constituatur in creatura, sufficit quomodocumque illam appetere ut ultimum finem apparentem. et satiatiuum sui inordinate, etiamsi non fixe, et immobiliter velit in eo esse, quia malum ex quocumque defectu.

XXX. Ad illud vero exemplum de peccante ex ignorantia crassa, respondetur quod ille decipitur, et errat in eo, quod existimat obsequium se præstare Deo; et ita amat excessive suam sententiam, et existimationem circa rem illam quam facit, nolens aut dissimulans rem consulere cum peritis et bonis, sed sensu suo inflatus, et suæ deceptioni fidens. Unde ex nimio amore suæ existimationis circa rem quam facit, et negligentia consulendi, peccat. Et sic finem ultimum in creatura ponit, ex cujus affectu ita inordinate decipitur.

XXXI. Ad illud de omittente fur-

tum contemplatione amici, et non Dei, respondetur quod ille diligit plus amicum, quam Deum intensive, quia plus movetur, seu plura facit intuitu illius: sed non plus diligit appetiatiue, quia non ponit finem ultimum in amico deserendo Deum, et sic in ratione finis ultimi plus appetiat Deum.

XXXII. Ad rationem ultimam dicitur, quod ponens finem ultimum in creatura, non iudicat creaturam esse summum bonum entitative, et in re; sic enim iudicaret illam esse Deum, sed iudicat illam esse summum bonum apparenter, et negative, quatenus pro præsentis facto apprehenditur ut conveniens, et satiatiua voluntatis, etiam contra legem Dei, et non debere aliud expectare, nec subordinari alteri, ut satiet appetitum suum. Et hoc pro tanto est summum bonum apparenter, quia repræsentatur ibi aliqua conditio beatitudinis, seu summi boni, verbi gratia, excellentia, vel delectatio aliqua, aut sufficientia, qua satietur pro tunc appetitus, vel careat aliqua miseria. Non requiritur etiam ad formandum iudicium practicum, quod præcedat iudicium speculativum positive de illa convenientia, quod ita vere in re sit, verbi gratia, ad formandum iudicium quod sibi est bonum, et conveniens fornicari hic et nunc, non requiritur quod præcedat iudicium speculativum quod fornicatio in se, et in re est bona; sed sufficit quod præcedat apprehensio terminorum, et iudicium de re ipsa, quod fornicatio non est conveniens rationi, est tamen blandiens, et conveniens appetitui, et inde formatur iudicium deceptorium practicum, quod absolute sequatur bonum mulcens appetitum, relicto iudicio vero rationis.

PECCANS VENIALITER, NON HABET FINEM ULTIMUM SIMPLICITER IN CREATURA.

XXXIII. Supponitur hic distinctio peccati venialis a mortali, de qua agit S. Thomas infra quæst. LXXII, articul. v, et quæstion. LXXXVIII, articul. i et ii, quod peccatum mortale opponitur charitati illamque destruit, et sic avertitur a Deo ultimo fine. Peccatum autem veniale, neque destruit charitatem, neque avertitur a Deo ultimo fine. Unde mortali peccato debetur pœna æterna, et perpetua carentia visionis Dei; peccato autem veniali, solum debetur pœna temporalis.

XXXIV. Est ergo difficultas, quomodo peccatum veniale habeat finem ultimum, et in quo? Et est argumentum: Nam peccatum veniale est vere, et proprie actio humana, quando ex deliberatione fit, cum vere demereamur per illud, et incurramus pœnam, et puniamur: ergo debet habere finem; si quidem omnis actio humana est propter finem, ut in hac quæstione, articulo quinto dicit D. Thomas. Rursus, non sufficit esse propter finem proximum, sed etiam propter finem ultimum; quia finis proximus non influit, neque causat finaliter, nisi in virtute finis ultimi, quia non est processus in infinitum in causis, et sic oportet sistere in aliquo, a quo incipiat influenza finalis. Nec sufficit ponere ultimum finem negative, quasi ulterius non tendens, sed etiam positive, qui habeat vim finaliter movendi, et gratia sui causandi, ut supra ostendimus. Talis autem finis ultimus peccati venialis, non potest esse Deus: quia peccatum veniale non est referibile in Deum, cum non possit illi placere, neque subordinari, si quidem malum morale est;



ergo habet pro fine ultimo creaturam. Et ex alia parte non avertitur a Deo fine ultimo; quia manet in charitate, et consequenter in Deo: ergo simul habet duos ultimos fines, peccans venialiter.

XXXV. Nec potest dici, quod habet Deum pro ultimo fine habitualiter, quatenus manet habitus charitatis in subjecto, creaturam autem pro fine proximo actualiter, ad quem convertitur sic operans. Et secundo, quod habet creaturam pro ultimo fine illius operis, non tamen pro fine ultimo operantis; hic enim est ipse Deus. Non repugnat autem quod habeat quis duos ultimos fines, alterum secundum quid, qui est tantum finis operis: alterum simpliciter, qui est finis operantis.

XXXVI. Sed contra primam solutionem instatur: Quia finis ultimus habitualiter, solum concomitanter se habet ad actum, seu effectum, non causative, vel influxive. Nos autem loquimur in præsentem de fine ultimo peccati venialis, ex intentione operantis, non ex habitu concomitanti in subjecto, et non dirigente. Non est autem aliud in peccante venialiter, Deum esse ultimum finem habitualiter, quam compati in ipso subjecto habitum charitatis, quo tenditur in Deum finem ultimum; hic tamen habitus nullo modo influit in peccatum veniale, neque Deus est ejus causa finalis; quia peccatum veniale vere, et proprie est malum, et displicet Deo; ergo non potest ad Deum, ut ad finem ordinari, nec fieri propter Deum; alias enim, si esset propter Deum, etiam esset ex Deo, et sic peccatum veniale ex Deo esset. Oportet autem assignare causam finalem vere, et proprie causantem, vel actualiter, vel virtualiter illud peccatum, et non solum habitualiter illud operantem, esse conversam

ad finem supernaturalem, quia illa habitualis conversio nihil prorsus influit in talem effectum, et sic ab illo fine non causatur peccatum veniale. Ad alium ergo finem ultimum recurrendum est; et cum non sit Deus, erit aliqua creatura, nihilque illi deerit, ut sit peccatum mortale.

XXXVII. Denique, ista doctrina non potest currere in eo, qui peccat venialiter, et non est in gratia, et charitate, talis enim non fertur habitu in Deum finem ultimum, et tamen vere peccat venialiter; ergo finis ultimus peccati venialis, non recte assignatur per habitalem relationem in Deum.

XXXVIII. Contra secundam autem solutionem instatur: Quia ille finis operis, non est finis ultimus simpliciter, sed particularis, et solum pro illo opere. Omnis autem causa, et finis particularis dependet ab aliqua generali, et in illam resolvitur. Ergo præter illum finem operis, debemus assignare alium finem ultimum operantis, qui sit simpliciter, et universaliter finis ultimus, aut non subsistunt ea, quæ de fine ultimo peccati mortalis, diximus præcedenti dubio. Hic autem finis ultimus, in peccato veniali non assignatur.

XXXIX. Quod vero dicunt aliqui recentiores apud Curielem hic quæst. 1, art. v, dubio unico, §. vi, quod justus venialiter peccans, mediate refert illud peccatum in habitum charitatis, et in Deum, quia refert objectum illius peccati ad se, et cum in se sit justus, habituque charitatis affectus, etiam in ipsum habitum charitatis refert peccatum, et mediante illo, in objectum talis habitus qui est Deus. Hoc inquam non valet; tum quia non potest referri in objectum charitatis id, quod est malum, et injuriosum ipsi, cum non possit a charitate referri in

Deum, nisi quod est capax, ut sit propter Deum; peccatum autem veniale, cum displiceat Deo, repugnat esse propter Deum, aut a charitate referri in ipsum, cum non sit illi gratum. Et mirum est, quod charitas actu suo non possit referre peccatum veniale in Deum, possit autem sine actu, per hoc solum quod inhæret subjecto. Tum etiam, quia sufficit charitatem inhære subjecto, ut dicatur peccatum referri ad objectum charitatis, quia refertur ad subjectum, in quo est charitas; ergo pari ratione referetur ad objecta aliarum virtutum, verbi gratia, temperantiæ, fortitudinis, justitiæ, etc. quia inhærent in ipso subjecto, imo et ad omnia objecta potentiarum, ut ad colorem, ad sonum, ad odorem, et in universum, ad omnia objecta tam potentiarum, quam habituum, qui sunt in subjecto, referretur peccatum veniale, ut ad finem, quia refertur in ipsum subjectum, in quo sunt omnes istæ potentiæ, et habitus: et juxta istorum auctorum doctrinam sufficit, ut referatur aliquid mediate in objectum charitatis, quod ordinetur ad subjectum, in quo inhæret charitas, scilicet ad seipsum. Et non solum peccatum veniale, sed omnes actus boni, aut indifferentes, qui non destruunt charitatem, referrentur in illam, si quidem non est major ratio, quod referatur peccatum veniale ad charitatem, vel ad alias virtutes, quia sunt in subjecto, et non referatur actus ambulationis, vel jejunii, vel eleemosynæ, et omnes alii actus boni. Omitto quod, ut supra expendimus, ista doctrina non currit, quando quis non habens habitum charitatis, sed extra gratiam, peccat venialiter, tunc enim refert illud peccatum ad se, et in se non invenit habitum charitatis, quæ habet pro objecto Deum. Quærat ergo tunc peccato veniali alius finis ul-

timus, quia tunc in Deum, nec mediate ferri potest.

XL. Varie circa hanc difficultatem enodandam theologi loquuntur. Reducuntur tamen ad quatuor præcipuas sententias. Quidam putant finem ultimum peccati venialis esse ipsam creaturam, quam in illo peccato diligit, vereque illa frui, quia perverse agit, et sic fruitur utendis; non vero utitur creatura, quia usus est eorum, quæ referuntur ad Deum, ad quem peccatum veniale referri non potest. Alii putant Deum esse finem ultimum peccati venialis, non actuali, aut virtuali relatione, sed habituali, qua phrasi perpetuo loquitur S. Thomas et discipuli ejus, de quo postea. Tertii dicunt finem ultimum peccati venialis, solum esse assignandum in communi, non in particulari, ut determinatum ad aliquam rem, scilicet satiativum appetitus. Quarti dicunt habere finem ultimum secundum quid solum, et negative, scilicet ipsum finem proximum operis, ut non relatum ulterius ad aliam creaturam, neque ad Deum: vel ut alii explicitant, habere pro fine proximo aliquid delectabile, non relatum ad finem honestum, neque taliter volitum, ut in eo ponatur ultimus finis. Primam sententiam sequitur Vazquez hic disp. v, capit. ii. Secunda sententia attribuitur communiter D. Thomæ, et Thomistis. Nam D. Thomas infra quæst. lxxxviii, art. i ad secundum et tertium, docet, quod venialiter peccans, refert bonum temporale in Deum, non actu, sed habitu, in quo dicto D. Thomas conveniunt omnes Thomistæ Cajetanus, et Conradus ibidem, Medina, hic articul. v, Aragon. 2-2, quæstion. xxiv, art. x, in fine commentarii. Idem dictum ponit D. Thomas in i, dist. i, quæstion. iii, articulo unico ad quartum, et in 2-2, quæstion. xxiv, articul. x ad secundum,